



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs I. De veritate syllogistica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

hominem currere; tum hæc propositio, tantum homo currit erit falsa; affirmat enim hominem currere & nullus currit. Rursus hæc, non tantum homo currit, tum erit falsa; ait enim hominem currere & aliquid etiam aliud præter eum, cum tamen homo non currat: ratio à priori est, quia, ut propositio copulatiua sit omnino falsa, satis est, vnam duntaxat obiecti partem non se habere quemadmodum affirmatur: hand ergo opponuntur contradictorie, *iste, & regit*, cum contradictio nequeat esse inter propositiones simul falsitati obnoxias. Fac è contrario ho-

minem currere, tum hæc propositio, tantum homo non currit, erit falsa, nec non ista, non tantum homo non currit, cum iuxta veritatem vtriusque expositionem à nobis superius traditam, ambæ cursum inficientur hominis; *propterea* ergo, & *clauso* non opponuntur contradictorie, nisi vero contradictio possit esse inter propositiones simul falsas. Qui plura velit de exponibilibus, adeat Sotum lib. 4. Summul. Toletum lib. 3. Fonseca libr. etiam 3. Hurtadum disp. 4. Summul. sect. 13. & sequentibus.



LIBER QVINTVS

DE VERITATE MEDIATA, Sive Argumentatiua.

TRACTATVS I.

De veritate syllogistica.

CAPVT I.

Quid sit syllogismus, & quam eius forma.

PRIMA, & potissima species veritatis argumentatiuæ, siue argumentationis, & ad quam reducitur omnis alia; ut in progressu patebit, est syllogismus: unde non iniuria primum doctrinæ ordine sibi locum asserit. Syllogismus ab Aristotele 1. prior. c. 1. definitur oratio, in qua, quibusdam positis, aliud quidpiam ab iis quæ posita sunt necessario euenit, eo quod hæc sunt. Parum ab hac dissidet ea, quam tradit Aulus Gellius lib. 13. noctium Atticarum cap. 26. syllogismus est oratio in qua consensus quibusdam, & concessis, aliud quid, quam quæ concessa sunt, per ea, quæ concessa sunt, necessario conficitur. Nec non ea quam exhibet Clem. Alexand. 8. Strom. Nulla autem simplex, & prima oratio vocatur syllogismus, etiam si sit vera, sed est ad minimum composita ex tribus huiusmodi: duabus quidem ut, quæ sumuntur; propositionibus, una autem, ut conclusione. Porro autem triplicem hanc definitionem sequenti explano, mutato tamen genere remoto, oratione nimirum, in argumentationem, quæ certe syllogismi genus proximum est: Syllogismus est argumentatio, in qua ex duabus propositionibus tertia necessario sequitur; veluti omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal.

Quò autem ad secundam præfixæ quæstionis partem deueniam, eique satisfaciam, sicut forma domus v.g. in artificiosa partium eius dispositione sita

est, ita forma syllogistica collocanda est in artificio maioris, minoris, & conclusionis, quibus tanquam partibus syllogismus coalescit. Quæ propositio conclusio sit, & cur ita vocetur, perspicuum est; cum ea sola sit, quæ ex præmissis inferitur: quæ autem præmissarum maior sit, quæ minor, & cumnam eo nomine gaudeant, haud est exploratum adeò.

Prima sententia est P. Roderici de Arriaga disp. 3. summul. sect. 5. numer. 24. circa medium, & communiter eorum, qui tuentur quartam figuram à tribus Aristotelicis distinctam, quinam autem sunt haud ita post constabit. Item Scoti lib. 1. prior. q. 24. Soti lib. 5. Summul. c. 5. & 6. Tellezj disp. 16. log. sect. 3. n. 6. Hi omnes ergo censent, eam syllogismi propositionem esse maiorem, quæ prius tempore, & eam minorem, quæ posterius tempore profertur. Cæterum non placet hæc opinio: namque syllogismus mentalis maiore & minore constat: at in mente neutra præmissa aliam tempore antea uertit, quoties ambæ ad conclusionis assensum concurrunt; quod si maiorem, & minorem mentalem neges, eadem licentia syllogismum mentalem poteris inficiari. Rursus, quod vna propositio prius sit prolata quam alia, ad conclusionem inferendam parum confert, & quod aiunt, se habet omnino per accidens: at artificium præmissarum, quo alia maior, alia minor est, respectu conclusionis censetur esse per se, atque ad eam deducendam maximopere conferre: hoc ergo artificium in eo ordine prioris, & posterioris minimè consistit: Maior, nam quæ sequuntur sponte sua sunt perspicua, suadet: quoniam ubi propositiones eadem sint, quomodocunque proferantur, & siue vna prius tempore quam alia, siue è conuerso, eadem est identitas extremorum cum medio, quæ sola ad identitatem extremorum inter se in conclusione representatam per se, ut aiunt, se gerit, multumque conducit. Et quidem Arabes teste Sueffano. 1. prior. comm. 33. minorem primo loco ponebant: contra Latini & collocabant & his etiam temporibus collocant primo loco solam maiorem: at Græcis utraque positio fuit in usu: signum ergo est ordinem præmissarum penes tēpus esse omnino per accidens ad inferendā conclusionē.

Ad

5 Ad hæc subiectum, & prædicatum, quibus constat propositio, per prius, & posterius tempore minime denominantur, ut omnibus est in confesso, idem ergo dicendum est de maiore, & minore, quibus constat syllogismus. Denique numerus modorum ab Aristotele, & affectus assignatus, & à non paucis aduersariis receptus, aut erit superfluous, aut certe insufficiens: nam diuersa, seu potius inuersa prolatio præmissarum aut variat modum, aut non, si primum, ergo in prima figura præter Darij, & Celarent v. g. Dirai, Calerent, & in secunda præter Feslino, Baroco, Fislino, Boraco, & in tertia præter Felapton, Bocardo, Falepton, Bacordo assignari poterunt, & debentur; ac proinde numerus communis erit insufficiens: exemplum modi Darij sit, omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal, modi vero Dirai, Petrus est homo, omnis homo est animal, ergo Petrus est animal: hinc cuius erunt in expedito cæterorum exempla: si secundum, ergo assignato Cæsare, & Disamis, Camestres, & Darisi superfluent; quæ enim propositio in duobus prioribus modis prius tempore profertur, ea in posterioribus posteriorem obtinet locum: En ex g. syllogismus in Cæsare, nullus lapis est animal, omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis: en alium, in Camestres, omnis homo est animal, nullus lapis est animal, ergo nullus lapis est homo: ubi cernere est præmissam negatiuam modò prius, poni, modò posterius: cuius etiam vicissitudinis exemplum in Disamis, ac Darisi est per quam inuentu facile. Quid? quod conclusio non à posterioritate temporis respectu præmissarum, sed à posterioritate naturæ respectu illarum ita nuncupatur; minor ergo non à posterioritate temporis, quam habere solet intuitu maioris, sed ab intrinseco quodâ ordine, & relatione ita est appellanda.

6 Secunda sententia est, maiorem eam esse, quæ est vniuersalis & minorem quæ particularis: ubi verò præmissæ ambæ vniuersales, aut particulares, singularesvè fuerint, propriè maiorem, aut minorem non reperiri, sed impropriè tantum, propterea aliqua propositio aliam tempore antecedit. Ita P. Hurtadus disp. 10. log. 11. num. 63. Contra tamen argumentor primò; subiectum, & prædicatum, quibus propositio coheret, simul vniuersalia, aut particularia, siue singularia (hæc enim duo in præsentia iuxta habentur) esse sustinent: ergo etiam maior, & minor stricte sumptæ, quibus syllogismus constat, simul esse possunt vniuersales, aut singulares. Contra secundò in modis, qui ambabus præmissis vniuersalibus constant, eodem iure vera maior, ac minor assignari possunt, quo in modis mixtis assignantur: sicut enim in his vniuersalis propositio est maior, & particularis minor, cur in illis magis vniuersalis propositio maior, & minus vniuersalis minor dicenda non est? Contra tertiò: quia numerus modorum alius esse debet, iuxta hanc sententiam ab eo quem Aristotelici communiter assignant: aut enim diuersitas maioris aut minoris impropriè à sola diuersa probatione, ac temporis ordine profecta modò variat, aut non? si primum, numerus vulgaris, & receptus eo ipso curtus est: si secundum, superfluous, ut numero superiori arguebam.

7 Tertia sententia quorundam recentiorum triplici acceptione medijs tripliciter maiorem, & minorem distinguit. Nam in prima figura medium potest esse stricte tale, cum duos terminos in quantitate inæquales interiacet: & tunc maior est, in qua medium subiicitur, & minor in qua prædicatur: cuius ratio est, quia illa est magis vniuersalis, &

termino communiore gaudet, hæc verò minor, quia est minus vniuersalis, & termino minus communi prædita: exemplum adhiberi potest in hoc syllogismo, omne animal est viuens, omnis homo est animal, ergo omnis homo est viuens: ubi homo, animal, & viuens interiacet, & huic subiectus, minor enim illi verò subditus, maiorem efficit. Secundò in prima figura medium situ, & positione solum tale esse potest, cum videlicet duos terminos in quantitate æquales interiacet, & tunc maior, & minor non stricte sed tantum positione, & situ tales erunt, eaque erit maior, in qua medium, & extremum eum situm obtinet, qui eis contingeret in maiore stricte sumpta, minor verò, in qua situs terminorum minoris stricte usurpata reperitur: quocirca in hoc syllogismo, omnis homo est rationalis, omne risibile est homo, ergo omne risibile est rationale, prima propositio est maior, propterea quod in ea subiicitur medium, ac prædicatur alterum extremorum, perinde atque accidit in maiori stricte sumpta: secunda verò dicitur minor, quia è conuerso collocantur in ea medium, & quod superest extremum, quemadmodum utrumque collocari consuevit in minori propriè usurpata. Tertiò in aliis duabus figuris, in quibus medium non interiacet extrema, sed de iis, aut aut solum prædicatur, aut duntaxat subiicitur, medium tale erit virtute inferendi conclusionem, ac proinde maior erit, quæ prædicato conclusionis positur, & minor quæ eiusdem subiecto.

Hæc etsi acutè excogitata, tamen omnino non placent. Namque in syllogismo falso reperitur medium stricte tale, quod duos terminos in quantitate inæquales interiacet, v. g. in hoc, omne animal est Petrus, omnis homo est animal, ergo omnis homo est Petrus: & tamen ibi maior non est, quæ terminò siue extremo magis vniuersali prædita est, nec minor, quæ minus vniuersali, sed è conuerso, ut inuenienti constabit: falsò ergo per maiorem, & minorem vniuersalitem explicatur maior, & minor, quando medium syllogisticum est propriè eiusmodi. Secundò, ubi semel in prima figura declaretur maior, & minor per maiorem, & minorem vniuersalitem, non est cur in secunda, & tertia figura per maiorem, & minorem vniuersalitem, cuius capaces sunt eius præmissæ, maior nimirum, & minor, hæc non explicentur, & non per prædicatum, & subiectum conclusionis. Et quidem longè consequentius docet Titelmannus lib. 3. cap. 1. §. appellatur autem eam propositionem vbiuis dicendam esse maiorem, quæ est generalior, magisque vniuersalis, minorem verò, quæ minus vniuersalis, & generalis: consequentius inquam, sed non verius: quid enim dicet ad syllogismos, ubi termini sunt æquæ vniuersales? quid ad eos, ubi sunt ambo singulares.

9 Rursus tertiò assignari debet ratio vniuoca ad omnem maiorem, & minorem: at hi recentiores æquiocam eam assignant, ut ex triplici illa differentia conspicuum est: ergo. Maior probatur: tum quia syllogismus est ratio vniuoca ad omnes eius species, ut omnes fatentur, & paritate desumpta à propositione constat: ergo idem dicendum est de maiori, & minori, ex quibus constat: consequentia in aperto est: totum enim vniuocum esse nequit comparatione huius, & illius totius singularis, quin ea vniuocatio ad partes eius dimanet comparatione partium singularium, à quibus abstrahunt, ut in homine, & materia, ac forma, quibus constat, dilucidum est: tum secundò, quia subiectum in communi est conceptus vniuocus respectu omnium subiecto-

rum,

rum, & idem est de prædicato: ergo similiter maior, & minor in communi respectu huius, & illius uniuocæ esse debent; à partibus enim secundæ operationis intellectus ad partes tertiæ operationis rectè arguitur. Quartò demum is loquendi modus displicet, quia secunda, & tertia figura strictè talis est: ergo maiori, & minori strictis gaudet: partes enim naturam totius æmulantur.

10 Quocirca cum Conimbricensibus lib. 1. prior. in prænot. in cap. 4. & postea cap. 7. quæst. 1. art. 1. & Fonseca lib. 6. in tit. cap. 1. aliter rem explico, & maiorem statuo, eam, in qua maius extremum reperitur, & minorem, in qua minus. Maius autem extremum in prima figura est illud, quod in præmissa aliqua prædicatur, minus verò quod in aliqua subiicitur: in secunda verò, & tertia illud est maius extremum, quod postea in conclusione prædicatur, minus verò, quod in ea subiicitur. Ideo verò prædicatum, potius, quam subiectum, maius extremum nuncupatur, quia præstantius est, & per se, ac directè loquendo, vniuersalius, prædicari, quam subiici: præstantius, quia subiectum, & prædicatum intentionale analogiam, ac proportionem cum subiecto, ac forma physica seruat: at forma physica genere suo præstantior est, quam subiectum. Secundò, quia subiectum munere, ac beneficio prædicati innotescit, & quid, aut quale sit, dignoscitur, non è conuerso: beatus autem, & præstantius est dare, quam accipere, seu physicè, seu intentionaliter: tertio demum, quia sponte sua notum est, honorabilius esse, ac præstantius præesse quàm subesse: at subiectum subest, & prædicatum præest: Vniuersalius quidem directè loquendo, quia omne prædicatum directum subiecto vniuersalius est, & cum minus vniuersale est, in indirectum degenerat.

11 Confirmatur, ac declaratur hæc doctrina: In propositione terminus ille, qui prædicatur, dicitur maior, & qui subiicitur, minor: teste Cassiodoro in dialectica, terminos dicimus, quorum quidem alter subiectus est, alter verò verò prædicatus: Subiectus est terminus, qui minor est, prædicatus verò, qui maior. Similiter ergo in syllogismo extremum illud dicitur maius quod prædicatur, & minus, quod subiicitur. Rursus tota propositio dici consuevit prædicatio, per denominationem ab vno solo termino, videlicet prædicato, vt paulo post ait idem Cassiodorus; quoniam verò huiusmodi simplices propositiones alterum habent prædicatum terminum, alterum verò subiectum, à maiore privilegio partis, propositio prædicatiua vocata est: pari ergo modo tota aliqua syllogismi præmissa dici poterit maior à solo maiori extremo, qualia demum eunque sint cætera eius constituta; & alia minor, per denominationem à solo extremo minori, nulla ratione habita cæterarum eius partium.

12 Obiicies tamen primò, non assignari à nobis rationem vniuocam maioris, & minoris extremi, ac proinde nec maioris, & minoris propositionis; nam aliter in prima figura, atque in secunda, & tertia maius & minus explicuimus extremum. Respondeo: ex dictis erui potest vniuocatio desiderata, nimirum si maius extremum appelletur, ac censeatur, quod in syllogismo magis prædicatur, & minus, quod in eo minus prædicatur: hæc enim ratio est omnino eadè, & cuius inferiori congruit: hæc autè duò ad vniuocationem sufficiunt: identitas eius rationis est in aperto: inferiorum autem omnium comprehensio videtur non minus perspicua: siquidem in modis directis primæ figuræ maius extremum magis prædicatur, cum semel in præmissis, & semel in conclusione prædicatur; ac proinde bis in toto syllogismo: in modis verò indirectis primæ figuræ magis prædi-

catur non extensiuè, vt ita loquar, seu frequentius si totum syllogismum spectes, sed magis intensiuè, quia prius natura prædicatur, eo quod præmissæ, in quibus est prædicatum, conclusionem, in qua minus extremum est prædicatum, sint natura priores, & secundò, quia directè prædicatur, cum minus extremum indirectè tantum prædicetur: quod autem prius & directius prædicatur magis ac præstantius prædicatur. In secunda verò figura maius extremum magis prædicatur, quia semel prædicatur, cum minus nunquam prædicetur. In tertia demum maius extremum bis prædicatur, cum minus semel tantum prædicatum sit: Vnde in secunda, ac tertia figura maius extremum magis extensiuè, quam minus prædicatur.

13 Obiicies secundò, quantumuis præstantius, & maius sit extremum aliquod prædicari quam subiici, inde tamen non fieri, præpositionem aliquam ab eo extremo quod prædicatur maiorem denominari debere, & aliam minorem à subiecto, quia amba totidem subiectis, & prædicatis constant, & quantum altera à prædicatione extremi crescit, tantum à subiectione medij decrescit, & è conuerso altera, quantum à subiectione extremi decrescit, tantum à prædicatione medij crescit: cur ergo altera maior, altera minor dicenda est? Respondeo: maior, & minor tales non sunt, ex eo quod vna quam altera præstantior sit, vt obiectio probat, & de se conspicuum est: siquidem æque præstantes esse possunt, aut etiam minor præstantior maiore, cum clarior est, aut supernaturalis, & maior merè naturalis, vt sæpe contingit. Dicitur ergo maior, quia habet maius, & præstantius extremum, quamuis eam præstantiorem non reddat, & minor eadem ratione: sic sæculum aliquod dicitur deterius alio non in se, sed quia deteriores homines producit & continet. Obiicies tertio: maior & minor anteverunt ordine naturæ conclusionem, adeoque anteriores ea sunt extremum maius, & minus: neutrum ergo tale denominatur ab eo quod subiicitur, aut prædicetur in conclusione: alias hanc antecederent, vt supponitur, ac simul non antecederent, quandoquidem ab ea speciem, ac denominationem hauriunt, quo pacto fieri nequit, vt album sit prius natura, quam albedo. Sed in isto argumento: siquidem medium antecedit naturæ conclusionem, non minus quàm extremo, imò multò magis quàm illa, quado quidè illorū ritu haud ingreditur conclusionem eive commiscetur vinquā: & tamè qualis terminus obtineat rationem medij dependet interdum à conclusione: positus enim his præmissis, nullus homo est animal, omnis homo est animal, si inferatur in Cæsare, ergo nullus homo est homo, eo argumentationis genere, quod ex oppositis vocari consuevit, animal in præmissis habebit rationem medij: sin autem concludatur in Felapton, ergo aliquod animal non est animal, homo è contrario rationem sortietur medij, de quo infra tract. 2. cap. 2. quanquam ergo dependeat aliquando à conclusione, quodnam extremum sit maius, quodnam minus, haud propterea hæc, & cum eis maior, & minor antecedere desinent assensum conclusionis. Respondeo secundò, artificium maioris, & minoris sumptum quoad prædicata essentialia, & complicationem illam necessariam, & intrinsecam duum terminorum cum alio tertio, aut instar solius prædicati, aut instar solius prædicati, aut solius subiecti, aut vtriusque antecedere naturæ conclusionem: quod si sumatur penes denominationem extrinsecam, & accidentariam extremis, quæ iunguntur cum medio, cuiusmodi sanè est ea post ea subiici, ac prædicari, cum care

catere utroque horum possint, si non inferatur conclusio, ita quidem nihil interesse, quod artificium maioris & minoris haud quaquam anteuertat conclusionem. Respondeo tertio, prius quam eliciatur conclusio, neutrum extremorum in ea subiici, aut predicari, at alterum eorum esse subiiciendum, alterum verò predicandum, quod satis est, ut vnum sit maius extremum, & aliud minus, atque hanc præmissis tribuant aequalitatem: quo pacto vnus terminus præ alio dicitur medium in syllogismo opposito, antequam eliciatur destinata aliqua conclusio, quia etsi nondum sit positum, ut aiunt, extra illam, erit tamen extra illam, sicut ad medij rationem oportet.

C A P V T II.

De Figura Syllogistica.

14

Figura syllogistica in connexionione extremorum cum medio sita est: quare immerito Recentiores eam cum forma syllogistica confundunt, cum illa in solis præmissis, hæc in præmissis, & conclusione consistat, ut nuper explicuimus: pro triplici ergo connexionione extremorum cum medio triplex figura est: quando enim medium connectitur cum extremis, per modum subiecti, & prædicati, (eu vni subiicitur, & de altero prædicatur, primam figuram constituit: quando verò connexio est per modum solius prædicati, secundam; quando per modum solius subiecti, tertiam constituit: quod sequentibus versiculis memorie causa complexus sum.

*Prædicat, & subiicit medium, quæ prima figura est.
Ordine quæ sequitur, medium bis prædicat: at quæ
Postremam obtinuit sedem, bis subiicit illud.*

Aut si mauis in carmen antiquum.

Subpre prima, secunda bis præ, tertia bis sub.

15

Duo autem hic disputanda occurrunt: primum est, an præter tres illas figuras admittenda sit alia quarta? Negant Aristot. 1. prior. c. 23. Scot. 1. etiam prior. q. 34. Occamus 3. p. Log. cap. Auerroes 1. prior. cap. 5. & 7. Buridanus ibidem cap. 7. Zabarella lib. de quarta figura cap. 12. Auerla qu. 25. Log. sect. 7. Conimbricenses tit. 2. log. 1. prior. cap. 7. quæst. 1. art. 1. & secundo. Vallius 1. prior. cap. 26. quæst. vni. ca, cap. 9. Hurtadus disp. 10. log. sect. 20. Arriaga, disp. 3. summul. sect. 5. n. 23. & 24. Tellez disp. 16. log. sect. 3. conclus. & cæteri communiter, & mea quidem sententia merito: nam si qua ratione daretur quarta figura à prima distincta, maximè quia medium subiici potest alteri extremorum in minori, & prædicari de altero in maiori, quæ collatio medij, eiusque cum extremis complicatio est valde diuersa ab ea, qua medium in maiori propositione subiecti, & in minore prædicati locum obtinet: diuersus autem, ordo, quo medium iungitur extremis, facit iuxta omnes diuersam figuram; quocirca præter secundam figuram, in qua medium bis prædicatur de extremis, ac tertiam, in qua bis subiicitur illis, & primam, vbi subiicitur vni extremorum in maiore, & prædicatur de altero in minore, admittenda est alia quarta, vbi medium in maiore prædicati, & in minore subiecti locum obtineat. At tota hæc ratio fragili, ac ruinoso innititur fundamento; fierique non potest, ut medium vnquam prædicetur in maiori propositione syllogistica, aut subiiciatur in minori: Siquidem maior dicitur ea, quæ habet maius extremum, & minor, quæ minus, iuxta

P. Lyucei Philosophia Tom. I.

dicta cap. præcedenti: maius autem extremum est, ut ibidem visum, cui subiicitur medium, & minus, de quo medium prædicatur, quoties in præmissis subiecti simul, ac prædicati rationem habet: tum ergo maior appellatur talis à subiectione medij, & minor ab eius prædicatione: quamobrem esse nunquam potest, ut medium prædicetur in maiori, & subiiciatur in minori, sicut ad quartam figuram oportet.

Rursus secundo: ideo posset medium prædicari in maiori, & subiici in minori, sicut necesse, & satis est ad quartam figuram, quia maior, & minor eæ tenus sunt tales, quatenus vna præmissa est prior tempore, & alia posterior: quamobrem si efficias hunc syllogismum omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal, præmissa vniuersalis affirmatiua erit maior, & particularis affirmatiua minor, adeoque medium subiicietur in maiore, & prædicabitur in minori; sin autem hunc, Petrus est homo, omnis homo est animal, ergo Petrus est animal, quæ præmissarum antea erat minor, videlicet particularis affirmatiua, modò transposita, erit maior, & quæ antea erat maior, nimirum vniuersalis affirmatiua, modò ob transpositionem solam erit minor, adeoque medium subiicietur in minore, & prædicabitur in maiore, ut intuenti constabit. At quod tota hæc ratio sit nulla: maiorque, & minor neutiquam consistant in prioritate, ac posterioritate temporis ab eavè dependeat, superius ostensum est interagendum de vtriusque artificio. Quocirca in duobus syllogismis adductis propositio vniuersalis affirmatiua ex æquo est maior, & particularis affirmatiua minor etiam utrobique.

Enimuerd Galenus, ut de eo refert Auerroes superius citatus, & in eius gratiam communiter medici tumentur, quartam figuram; primò quia fieri potest, ut medium prædicetur in maiori, & subiiciatur in minore, quidni enim? Secundo quia transpositis præmissis, quæ propositio est maior, potest esse minor, & quæ minor, rationem maioris obtinere, ac proinde subiici potest medium in minore, & prædicari in maiore, sicut opus est ad quartam figuram. Cæterum his argumentis factum est satis pauld supra, eorumque leuitas contrariam sententiam haud parum enervat.

Arguunt tertio, & vtramque rationem nuper propositam, ac dilutam confirmant: diuersa collocatio terminorum, videlicet medij & minoris, ac maioris extremi variat figuram syllogisticam, ut per se claret, & à nemine negatur: similiter ergo diuersa collocatio propositionum integrarum, quæ nimirum vna est prior tempore, & alia posterior mutare poterit figuram, & præter vritas quartam aliam intuehere. Admisso antecedenti, nego consequentiam: prior enim collocatio est essentialis syllogismo, ab eiusque representatione indistincta: itaque si mutetur, & medium v. g. quod alteri extremorum simul subiiciebatur, & de altero prædicabatur, postea, vel solius subiecti rationem habeat intuitu vtriusque, vel rationem solius prædicati, hoc ipso non manebit eadem essentia syllogismi, non eadem representatio: cæterum posterior collocatio, seu dispositio præmissarum, ea videlicet quæ est penes tempus, nequaquam est essentialis syllogismo, sed contingens, & accidentaria: proinde figuram syllogisticam, siue ipsum syllogismum, qui est essentialiter in aliqua figura, non constituet: quam autem non constituit, eam neutiquam poterit distinguere, aut variare: principia namque distinctiua rerum sunt earundem constitutiua, & e conuerso.

P

Arguunt

19 Arguunt quartò : Ferio & Frisefomorum iisdem præmissis constant, videlicet altera vniuersali negatiua, & altera particulari affirmatiua : nihilominus sunt modi diuersi, propter diuersam collocationem earundem præmissarum ; & quia est prior tempore in vno, quæ est posterior in altero, & viceversa ; similiter ergo præmissarum transpositio, ac diuersa collocatio poterit efficere diuersam figuram, & præter tres, aliam quartam. Per argumentum fieri potest in Cæsare, & Camestres, atque in Disamis & Datisi. Sed in primis argumentum inchoat : diuersa quantitas, & qualitas præmissarum distinguit modos, vt certo certius : & tamen nequit distinguere figuras : tum quia omnes modi eiusdem figuræ nihilominus sunt diuersæ quantitatis, & qualitatis, sin minus ex toto, at certè aliqua ex parte ; tum etiam quia eadem quantitas, & qualitas præmissarum non facit eandem figuram, vt cernere est in Darij, & Datisi, in Celarent, & Cæsare, in Ferio, & Festino, & in hoc & Ferison : ergo nec diuersa diuersam : quamuis igitur transpositio præmissarum variet modos, non ob id poterit variare figuras, adeoque perperam ab illis ad has arguitur in præsentia.

20 Deinde respondeo, modum Ferialem ex. g. nulum animal est lapis, aliquis homo est animal, ergo aliquis homo non est lapis, & eum, qui dicitur Frisefomorum, videlicet aliquis homo est animal, nullum animal est lapis, ergo aliquis lapis non est homo, haud quaquam differre, ob solam transpositionem præmissarum, sed ob diuersitatem conclusionis, quæ in vno est directa, & prædicat maius extremum, videlicet id quod habet rationem prædicati in præmissis, & in alio est indirecta, ac prædicat minus extremum de maiori, nimirum quod habet rationem subiecti in aliqua præmissarum, vt intuenti constabit : Quare stante eodem situ præmissarum in priori syllogismo, exempli gratia adducto, si inferatur conclusio indirecta, scilicet, ergo aliquis lapis non est homo nihilominus erit syllogismus in Frisefomorum ; sin autem inferatur directa, quæ est superius illata, nimirum ergo aliquis homo non est lapis erit in Ferio : par autem ratio posterioris syllogismi in exemplum adducti : haud ergo distinguuntur modi illi ob transpositionem præmissarum, diuersumque earum situm, sed propter diuersam conclusionem : Atque hinc est, vt vterque constet quidem eisdem præmissis materialiter, & entitatiuè sumptis, non tamen formaliter vsurpatis : siquidem propositio tenens locum maioris in vno, denominatur minor in alio, & quæ minor in alio, maior in priori, eò quod non parum conferat ad has denominationes præmissis tribuendas, quænam inferatur conclusio, iuxta dicta cap. præcedenti. Vno verbo : maior Ferialis est vniuersalis negatiua, & minor Frisefomorum se habent : quare vterque modus non iisdem præmissis formaliter talibus siue non eadem maiore, eademque minore, sed præmissis eiusdem quantitatis, & qualitatis constant ; quæ sunt longè diuersa, cum præmissæ quatenus tales formaliter non à quantitate, & qualitate, sed à dispositione medij sumantur.

21 Hinc etiam cernere est, quid dicendum sit ad modos Cæsare, & Camestres, nec non ad modos Disamis & Datisi : consimiliter enim differunt propter conclusiones quacumque demum ratione ponantur, transponantur vè præmissæ : En hunc syllogismum in Cæsare, nullus lapis est animal, omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis, & hunc in Camestres, omnis homo est animal, nullus

lapis est animal, ergo nullus lapis est homo, & vterque conclusionibus finiri, alterum videlicet propositione conuertente, & alterum propositione conuersa : En etiam hunc in Disamis, aliquis homo est animal, omnis homo est viuens, ergo aliquod viuens est animal, & hunc in Datisi, omnis homo est viuens, aliquis homo est animal, ergo aliquod animal est viuens in diuersas etiam definire conclusiones. Quocirca in vtrisque sunt diuersæ præmissæ, si non materialiter, at formaliter sumptæ.

22 Quod si obiicias hunc syllogismum, nullus homo est equus, aliquod animal est homo, ergo aliquod animal non est equus, esse in Ferio ; at etiam esse in Frisefomorum, per solam transpositionem præmissarum, hoc modo ; aliquod animal est homo, nullus homo est equus, ergo aliquod animal non est equus, non verò per mutationem, & conuersionem conclusionis : si enim conclusio mutetur, conuertatur vè, atque ex superioribus præmissis inferatur, ergo aliquis equus non est animal, nihil concludetur profectò, sed potius existeret falsa, & illegitima conclusio : cuius ratio à priori est quod particularis negatiua non sit conuertibilis formaliter, & per se, atque ad summum possit aliquando conuertere per accidens, & ratione materiæ. Quod si inquam ita obiicias, in promptu est responsio, eum videlicet syllogismum reduci ad Frisefomorum, in eoque collocari, per mutationem conclusionis directæ in indirectam, & conuersæ in conuertentem : quod autem hoc pacto concludatur falsum, haud est inconueniens : namque Frisefomorum non semper concludit verum, nec nisi quando termini sunt conuertibiles, aut ratione formæ, aut certè ratione materiæ : Ita superius lib. 4. tract. 2. c. 3. in solut. 4. arg. diximus ex doctrina non paucorum authorum modum Darapti haud concludere necessario verum, nisi quando termini sunt incomplexi : Aliæ huius difficultatis solutiones excogitari possent, quibus tamen refellendis, aut referendis non vacat immorari.

23 Alterum, quod h'c disputandum occurrit, est qualis figura præstantior sit ? Quo in puncto mihi exploratum est, primam figuram reliquas antecedere : tum quia in ea propositiones omnis generis vniuersales nimirum, particulares affirmatiuæ, & negatiuæ concluduntur ; tum quia plures modos continet, tum etiam quia perfectiores modos cohibet, vt potè ad quos reliqui reducuntur, vt clarius concludant ; tum demum quia in ea medium perfectius copulatur cum extremis, quippè quæ interiacet : cum in aliis figuris medium per modum subiecti solius, aut prædicati solius, extremis adiaceat. Secunda autem figura, & tertia pares videntur : primò in virtute plura concludendi ; nam licet illa vniuersales & particulares concludat, secus verò hæc, quæ solas concludit particulares, tamen è contrario hæc affirmatiuas, & negatiuas efficit. cum tamen illa solas negatiuas conuincat : Secundò pares sunt in numero modorū : altera namque, præter quatuor vulgares modos, Cæsare nimirum, Camestres, Festino, & Baroco, sortitur alios duos à nobis inferius exponendos, adeoque continet sex modos non minus quam tertia figura. Quamuis autem hanc in in eo superet, & excellat secunda figura, quod in secunda, medium, qui ex terminis syllogisticis potissimus, prædicatur, ac proinde locum præstantiorem obtineat ; ceterum hic excessus compensatur ; per hoc quod in tertia figura duo termini prædicentur ante conclusionem, nobilioremque sedem sibi vendicent ; cum tamen in secunda figura ex tribus terminis duntaxat

duntaxat vnus, videlicet medium, prædicati dignitatem occupet, antequam ventum sit ad conclusionem.

C A P V T III.

De modo Syllogistico directè, & indirectè, vtiliter, & inutiliter concludente.

24 **M**odus syllogisticus est apta dispositio terminorum secundum quantitatem, & qualitatem, à quibus forma & figura abstrahunt; vnde in hoc à modo differunt. Porro quantitas in quavis figura quadruplex esse potest: aut enim præmissæ ambæ vniuersales sunt, aut ambæ particulares, aut maior vniuersalis, & minor particularis, aut è conuerso minor vniuersalis, & maior particularis. Qualitas etiã præmissarum, qua nimirum affirmant, & negant, sensu in tempore explicato, eadem ratione quadrupliciter findi potest. Quadruplex autem quantitas cum quadruplici qualitate combinata sexdecim modos in quavis figura variat; quatuor enim quater ducta sexdecim sūt; at ter sexdecim quadraginta octo deducunt; vnde in tribus figuris totidem modis præmissæ variantur: porro ex iisdem præmissis vna sola conclusio directæ colligi potest: quare si tot nobis præmissæ variari possunt, quot enumerati sunt, totidem erunt conclusiones directæ ac proinde totidem modi syllogistici qui directè concludant.

25 **R**oges, cur ex iisdem præmissis diuersæ conclusiones directæ oriri non possint, sicut è conuerso eadem conclusio directæ ex diuersis oritur præmissis? Respondeo, conclusionem nasci ex præmissis vi mediij, quod, cum multiplex esse possit respectu vnus conclusionis, præmissas multiplicare potest. Quod autem eadem præmissæ eodem semper modo concludant, ex eo oritur, quod iisdem extremis præmissæ, & conclusio constare debeant: quare, si præmissæ sint eadem, eadem erunt extrema præmissæ, ac proinde conclusa: vnde conclusio tantum variari poterit, penes directam, aut indirectam combinationem extremorum quibus gaudet.

26 **E**x quadraginta octo modis directis quatuordecim tantum vtilis sunt, & vi formæ concludunt, reliqui triginta quatuor inutiles sunt. Modos vtilis his versiculis B. Thomas opusc. 48. tract. de syllogismi capite 8. & communiter cæteri dialectici complectuntur.

*Barbara Celarent Darij Ferio Baraliphton
Celantes Dabitis Fapesmo Frisefomorum,
Cesare Camestres Festino Baroco Darapi
Felapton Disamis Datisi Bocardo Ferison.*

Vt autem quantitatem, & qualitatem cuiusque modi intelligas, in memoriam reuocari debent ij versiculi, Affert A. negat E. sunt vniuersaliter ambo: affert I. negat O. sunt particulariter ambo: habent enim in his modis locum: quare hic syllogismus, omne risibile est rationale, omnis homo est risibilis, ergo omnis homo est rationalis est in Barbara: & hic syllogismus, omne animal est viuens, aliquis homo est animal, ergo aliquis homo est viuens, est in modo regis Darij: cæterorum etiam modorum paradygmata cuius erunt in promptu, dummodo vim quatuor illarum vocalium attingat. Rursus aduertendum, in Baraliphton quartam syllabam & in Frisefomorum tum quartam, tum etiam quintam haud esse modales, sed solius metri causa apponi. Priores nouem modi ad primam attinent figuram, & ex nouem quatuor primi directè concludunt; cæteri quinque tan-

P. Lyncei Philosophia. Tom. I.

tum indirectè. Quatuor modi sequentes ad secundam, & sex postremi ad tertiam figuram spectant.

27 **V**t verò non solum in arguendo quid sequi, verum etiam quid fugere debeas, præ oculis habeas, omnes modos inutiles ad hos verius redegi.

*Bibulus & Colophon Priami Enterpeque canora
Laertes Carochos Lepontos dulce Moreton,
Icteros, atque Oriō Rophalon, flammansque piropos,
Balsama, Virgiliy, Paridis, quibus adde Mylacin
Et Venerem, Prologon, magnum Xenophonta, &
Homeron;*

*Philopolin Monachon polypo gelidumque Phileon
Mamertes Polemon Monocor Libitina Megara*

Melobosis Corydon Philocor, Latomosque Philemon,

Ex his modis inutilibus duodecim priores, primis tribus versibus contenti, ad primam figuram spectant. Duodecim sequentes tribus versiculis sequentibus comprehensi ad secundam attinent. Decem verò posteriores duobus postremis versiculis cohibiti tertiæ figuræ sunt proprii. Pro quorum luce, & intelligentia regulæ pro vtilibus traditæ obseruari debent; & insuper nulla epithetorum, seu adiectiuorum, aut coniunctionum est habenda ratio.

C A P V T IV.

Alij quinque modi vtilis adduntur.

28 **P**raeter vnde viginti modos vtilis, versibus illis Barbara, Celarent, &c. comprehensos, & communiter in scholis circumferri solitos, ipse alios quinque haud minus vtilis à quibusdam Summularum antiquorum relatos, atque reiectos, à neotericis verò penitus omisos adstruere non dubito; quos sequenti carmine complector.

Thersandros Phalaris Pelago Centauro & Arestor,
De his tria mihi probanda sunt: primum, quinque illos vtilis esse, & à cæteris distingui: Secundum, plures non reperiri: tertium, eos omnes excepto Pelago mixtos esse, & partim directos, partim indirectos, quod iam spectat ad quæstionem de vocabulo.

29 **V**t autem à Phalari incipiam, v. g. omnis homo est rationalis, omne risibile est homo, ergo aliquid risibile est rationale, is quidem ad concludendum vtilis est, vt intuiti per se constat, vtque apparet ex regula illa dialectica, quoties infertur subalternans, rectè inferri poterit subalternata: syllogismus autem Phalaricus à Barbarico non differt nisi in sola conclusione, quæ in illa est subalternata & particularis, & in hoc subalternans, & vniuersalis: igitur non minus vtiliter Phalaris quam Barbara concludit. Quod autem sit diuersus à reliquis modis hucusque assignatis probatur: quoniam, si cum aliquo recurreret, & esset idem, maximè cum Barbara, aut Baraliphton: non cum Barbara; tum quia diuersa conclusio, diuersum modum efficit, vt ex Barbara & Baraliphton apertè constat: at conclusio Barbarica & Phalarica diuersæ sunt, cum alia sit vniuersalis, alia particularis: tum secundo & magis efficaciter, quia cum loco conuersæ infertur propositio conuertens, diuersus modus resultat esto præmissæ sint eadem, vt omnes modi indirecti demonstrant: quoties igitur loco subalternantis infertur subalternata, sicut in Phalari ad Barbaram comparata vsu venit, diuersus existet modus: conuenientia est perspicua, siquidem subalternans, & subalternata plus differunt, quam conuertens, & conuersa, spectatis vtrarumque generibus, cum illæ in quantitate necessario differant, & altera sine altera possit esse vera, aut falsa,

hæ vero nec in quantitate necessariò dissideant, nec vna sine alia possit esse veritati, aut falsitati obnoxia: quamobrem, hæ si modum variant, id ipsum præstare poterunt illæ à fortiori: tum quia tam differunt in prima figura Phalaris, & Barbara, quam in tertia Darapti, & Balsama, vt euident est ex sola apprehensione terminorum: at in tertia figura Darapti & Balsama sunt modi diuersi, alter videlicet utilis, & alter inutilis: ergò & Barbara & Phalaris modi diuersi esse debent. Tum demum quia in modis Difamis, ac Datifi præmissæ sunt entitatiuè eadem, & quamuis differant quoad artificium formale maioris, & minoris, hoc tantum prouenit à diuersitate conclusionis, quæ in vno subiicit extremum, quod in altero prædicatur, & è conuerso: quocirca totum discrimen eorum modorum, præmissarumque quibus constant, acceptum referri debet diuersis illorum conclusionibus: at luce clarius est, conclusionem Barbaricam, ac Phalaricam non minus inter se differre, quam propositiones, quibus concludunt Difamis ac Datifi: hi ergo cum sint modi diuersi, tales non esse non poterunt Phalaris, ac Barbara.

30 Quod autem Phalaris differat à Baralip-ton suadet: quoniam Baralip-ton prorsus indirectè concludit, vt pote qui prædicatum maioris, seu maius extremum in conclusione subiicit, non prædicat: at Phalaris quodammodo directè concludit, cum prædicatum maioris extremumve maius in conclusione prædicet, non subiiciat. Rursus conclusio Baralip-tica conuertit per accidens conclusionem Barbaricam: at conclusio Phalarica eius non est conuertens, sed potius subalternata: Phalaris igitur, & Baralip-tò diuersa ratione concludunt. quod satis est ad variandos modos. Eodem pacto suaderi potest Thersandron esse modum diuersum à Celarent, Pelagon à Celantes, Centauron à Cæsare, & Arestora à Camestres, atque omnes vtiliter concludere, vt expendenti liquerebit.

31 Restat secundo probandum, hos modos à nobis superadditos esse quinque, & non plures, nec pauciores, quod ex superioribus potest haud ægrè præstari. Siquidem quinque tantum modi, nimirum Barbara, Celarent, & Celantes in prima figura, ac Cæsare, & Camestres in secunda figura vniuersaliter concludunt: at modi à nobis superaddicti tum duntaxat locum habent, cum loco conclusionis vniuersalis infertur particularis: tales igitur modi tantum erunt quinque. Thersandros scilicet, Phalaris, & Pelagos, qui ad primam figuram, Centauron & Arestor, qui ad secundam suo quasi iure spectant.

32 Tertium & vltimum, quod pollicitus sum, in hunc modum præsto: Phalaris, v.g. prædicatum maioris prædicat in conclusione, & subiectum minoris in ea subiicit, qua in re cum modis directis conuenit: deinde quantitatem conclusionis mutat, & loco vniuersalis particularem infert, atque aded totam conclusionem mutat, qua in re cum modis indirectis conuenit: ergo nec indirectus, nec directus est, sed ex vtroque mixtus, & inter vtramque medius. Confirmatur: vulgares modi directi, & indirecti tantum sunt vnde viginti: sed ab omnibus his distinguuntur quatuor modi, de quibus loquimur: ergo sunt ex vtriusque mixti. Data autem opera excepi-mus Pelagon: est enim modus indirectus, cum more cæterorum indirectè concludentium minus extremum in conclusione prædicet de maiore, & hoc illi subiiciat: Quinariam est cæteris magis indirectus, cum mutet conclusionem directam, tum modi celarent, tum

etiam modi Celantes: illam, propterea quod eam conuertat per accidens, & eius prædicatum subiiciat, ac subiectum prædicet: hanc, propterea quod eius subalternatam inferat.

CAPVT V.

Soluuntur argumenta quadam aduersus numerum modorum à nobis constitutum.

33 **O**pponi solet in primis à medicorum schola aduersus numerum modorum directè concludentium à nobis assignatum. Nequit idem modus esse in duabus figuris, quantumvis in quantitate, & qualitate sit idem; aliàs Celarent, ac Cæsare non essent modi diuersi, nec Darji & Datifi, nec Ferio & Festino, nec Baralip-ton, & Darapti: sed datur quarta figura: igitur præter modos directos trium figurarum assignandi sunt alij plures, qui videlicet ad quartam illam figuram spectent, eiusque solius sint proprii. Respondeo eiusmodi quartam figuram velut impossibilem, & commentitiam superius esse reiectam, & potuisse medicos, vt falsè iocantur in eos nostri Conimbricenses lib. 1. prior. cap. 7. q. 1. art. 1. minus esse sollicitos de quatuor figuris in syllogismo, quam de quatuor humoribus in corpore: nec enim si vna figura destituatur, continuò agrotabit, vt corpus absque quatuor humoribus.

34 **O**pponi consuevit secundo aduersus senarium modorum indirectè concludentium à nobis statutum, videlicet Baralip-ton Celantes Dabitis Fapismo Frisefomorum, & Pelagon plures alios assignari oportuisse: cur enim, sicut sex illi in prima figura concludunt indirectè, non sint similiter in secunda, & tertia figura quidam alij indirectè concludentes? Respondeo, nullos esse modos, qui in secunda, & tertia figura possint indirectè concludere. Nam indirecta conclusio est, in qua prædicatum maioris subiicitur, & minoris prædicatur; sed in secunda figura nullus modus reperiri potest, qui prædicatum maioris in conclusione subiiciat, cum prædicatum maioris sit medium, quod conclusionem non ingreditur: nullus igitur modus esse potest indirectè concludens in secunda figura. Rursus in tertia figura prædicatum maioris nequit in conclusione subiici; aliàs non maior, sed minor foret, cum maior à prædicato conclusionis, & minor ab eius subiecto denominetur; quæ ratio secundæ etiam figuræ deseruit.

35 **C**onfirmatur & declaratur paulò aliter solutio: nam Aristoteles 1. prior. cap. 6. docet illud esse maius extremum in secunda figura quod est magis propinquum medio, minus verò quod ab eo longiori distat intervallo: cuius doctrinæ sensus est, extremum illud esse maius in hac figura, quod in prædicando magis accedit ad naturam medij, siue quod prædicatur in conclusione, sicut medium in præmissis, minus verò quod prædicationem medij non imitatur, sed potius subiicitur in conclusione, vt vt medium prædicetur in assensu præmissarum: Porro idem Aristoteles sequenti cap. 7. docet contrà illud esse maius extremum in tertia figura, quod magis abest à medio, & minus, quod ei propius accedit: huius, autem doctrinæ intellectus est, maius extremum in hac figura esse, quod prædicatur in conclusione, & minus quod in ea subiicitur; quare, cum in eiusmodi figura medium subiiciatur in præmissis, maiorem cum medio propinquitatem, seu vicinitatem esse propriam

proprium minoris extremi, & minorem esse propriam eius extremi, quod vocari maius afolet. Quæ cum ita sint, fieri non potest, vt maius extremum subiiciatur in conclusione vlla secundæ, aut tertiæ figuræ, aut minus extremum prædicetur: oporteret autem maius extremum subiici, & minus prædicari in conclusionibus secundæ, & tertiæ figuræ, si in vtraque modi aliqui indirectè concludentes locum haberent.

36 Vltius assignato hoc syllogismo directè concludente in Cælare v.g. nullus lapis est homo, omne rationale est homo, ergo nullum rationale est lapis, cedo alium indirectam in secunda figura ei priori correspondentem, quemadmodum in prima figura modo Celarè correspondet Celantes, Pelagos, & Fapelsmo, & modo Ferjali, Frisefomorum, & ei, qui Barbara dici solet, Baralipson, & modo regis Darij, Dabitur: Dices hunc, nullus lapis est homo, omne rationale est homo, ergo nullus lapis est rationalis. Contra tamen, quia hic modus indirectè concludendi differt à Camestres sola transpositione præmissarum, vt intuenti constabit: iam ergo præmissarum transpositio ac diuersus eas proferendi ordo modos variabit: consequens autem est absurdum: magnopere enim confert ad inferendam conclusionem in quonam modo sit syllogismus: at ad eius illationem nihil interest, quænam præmissa sit prior tempore, quænam posterior: haud ergo constituit, haud variat modum ordo præmissarum earumvè transpositio: Huc etiam adhiberi possunt cætera ferè argumeta, quibus supra probatū manet, figuras minimè variari ob transpositione præmissarum. Pari ratione potest oppugnari quiuis alius modus indirectus secundæ, & tertiæ figuræ: Atque vtramque omni virtute indirectè concludendi destitutam esse tuentur, præter alios, Fonsæca lib. 6. instit. c. 13. & Conimbr. prior. cap. 7. q. 2. art. 1. vbi addunt, sententiam hanc nostris temporibus esse magis communem, atque receptam.

37 Enimverò contrarium docent B. Thomas opus. tract. de syllog. cap. 8. Scotus 1. prior. q. 23. & 24. Sotus lib. 5. summ. cap. 5. & 6. Toletus lib. 4. introduct. cap. 7. Hurtadus disp. 10. log. sect. 13. & 19. Auerfa quæst. 2. 5. log. sect. 8. §. dicendum tamen est Marsilius lib. 1. prior. q. 31. Sueff. & commentator eodem lib. cap. 8. Titelman. in log. lib. 4. de syllog. cap. 12. Ratio huius sententiæ est, quoniam in secunda, & tertia figura reperitur maius & minus extremum in ipsis præmissis, antea quam ventum sit ad conclusionem, & quin altervtrum denominetur ab ordine, quem in ea seruant inuicem: illud enim erit in vtrauis earum maius extremum, quod in præmissa prius tempore prolata existit, dignioremque hoc titulo locum obtinet: illum verò minus, quod constituit, & ingreditur præmissam subsequenter: potest ergo in his figuris non solum maius extremum, siue prioris præmissæ proprium de minori extremo prædicari, sed etiam minus extremum siue posterioris præmissæ constitutum de maiori, sicut ad indirectam conclusionem oportet: consequentia sponte sua est perspicua: suadet antecedens primò, quia maius, & minus extremum talia censentur per eorum complicationem cum medio, præstantiorem, aut minus præstantem: at non nisi in præmissis possunt, aut solent cum eo complicari: secundò quoniam in præmissis antecederet ad conclusionem reperitur tota ratio distinguendi vnam figuram ab alia, propterea nimirum in eis medium, aut omninò subiicitur, aut omninò prædicatur, aut subiecti simul, & prædicati vicem obtinet: ergo & di-

P. Lyncei Philosophia. Tom. I.

stinguendi maius extremum à minori: tertio, quia in prima figura maius, & minus extremum distinguuntur sine respectu ad conclusionem, & per seolum ordinem, quo in præmissis coniunguntur cum medio: quidni ergo & in secunda, ac tertia figuræ quartò quoniam alias quinque modi indirecti primæ figuræ haud essent tales, sed potius modi directi, quartamque constituerent figuram: siquidem in eis semper maius extremum de minore prædicaretur in assensu conclusionis, non secus atque vltimè in modis omnibus secundæ, & tertiæ figuræ: debent ergo esse directi: quare cum concludere nequeant directè in prima figura, vt omnibus est exploratum, & multo minus in secunda, & tertia, restat, vt in alia quarta: præsertim cum hæc dicatur ea in qua maius extremum subiicitur medio in præmissis, & minus de illo prædicatur: hoc autem videtur necessarium esse in eiusmodi quinque modis iuxta iamiam dicta: quintò quia in secunda figura modus Festino v.g. tantum concludit vtiliter, quando prædicat maius extremum de minori, hunc in modum: nullus homo est equus, aliquid animal est equus ergo aliquid animal non est homo: eius autem præmissæ concludunt inutiliter, & falsò si è contrario prædicent vi conclusionis minus extremum de maiori, hoc pacto: nullus homo est equus, aliquid animal est equus, ergo aliquis homo non est animal: hæc autem regula huic modo, & aliis secundæ, & tertiæ figuræ communis supponit maius, & minus extremum in illis reperiri ante conclusionem ex parte ipsarum præmissarum: alioqui erit inutilis, & nugatoria, atque, cum præcipit maius extremum in Festino & similibus modis secundæ, & tertiæ figuræ debere prædicari de minori, ad vtiliter concludendum: hoc tantum præcipit, id prædicandum esse in conclusione, quod in ea prædicatur, & quod in ea subiicitur hoc subiiciendum: cauebit etiam ea regula quod est impossibile, & cuius nullum est periculum: si enim maius extremum est, quod prædicatur in conclusione, & minus quod in ea subiicitur: qui fieri potest, vt è conuerso minus in ea prædicetur & subiiciatur maius? ne ergo intellectus erreret, minus extremum in conclusione aliqua secundæ, aut tertiæ figuræ de maiori prædicando nullius regulæ necessitas est, nullius utilitas.

38 Respondeo tamen negato antecedenti: ad primam eius probationem nego maius aut minus extremum dici talia per solam eorum complicationem cum medio, quando hæc est æqualis, & alterutrum ei subiicitur, devè eo prædicatur, vt in secunda, & tertia figura viuènit, sed præterea per hoc quod alterum subiiciatur alteri in assensu conclusionis, & alterum de altero prædicetur. Ad secundam probationem respondeo, in primis eam, vt aiunt, instando: nam transpositio præmissarum iuxta Hurtadum; Auerfam, & plerosque aduersariorum, non distinguit vnam figuram ab alia: ergò nec maius extremum à minori: deinde idcirco per solas præmissas distinguitur vna figura ab alia, quoniam in illis per se loquendo, & nò per accidens, aut vi alicuius cōtingentis transpositionis cōiungitur diuersimodè medium cum extremis, videlicet instar subiecti, & prædicati simul aut solius subiecti, aut demum solius prædicati: at extrema eodem modo per se comparantur in præmissis cum medio in secunda siue in tertia figura sigillatim sumptis: ergò in solis præmissis non est ratio distinguendi vnum extremum ab alio, maius scilicet à minori, & e conuerso.

Ad tertiam probationem respondeo; propterea in prima figura distinguui maius extremum à minori,

P 3

muncere

39

munere non conclusionis, sed duntaxat præmissarum, quia in eis vnum extremum subiicitur medio, & de eodem prædicatur aliud, hæc autem ratio non procedit in secunda, & tertia figura, quarum præmissæ vtrumque extremum, aut simul prædicant, aut simul subiiciunt. Ad quartam probationem respondeo, in eo deficere, quod supponat, primæ figuræ modos indirectos non habere maius extremum, & minus in ipsis præmissis secundum se spectatis, sed potius illud in eis dici maius extremum, quod prædicatur in assensu conclusionis, & minus, quod in eo subiicitur: huius autem contrarium verius esse, in solutione præcedentis probationis manet ostensum.

40

Ad quintam, & postremam respondeo, in modo Festino, quoduis extremum indifferenter, & ex æquo inferri concludivè posse de alio, eamque regulam, qua statuitur in eo & quocunque alio simili duntaxat maius extremum de minori posse concludi, non autem è conuerso, haud quaquam esse veram aut Aristotelicam: Quod autem hinc sequitur, modum Festino, eiuſvè præmissas, quo tantum sensu de eo in presenti loquimur, interdum posse falsum concludere, non est absurdum: tum ergo hic modus, & alius cuius ei similis locum habet, tum vtiliter, & sine periculo falsitatis concludet, quando termini conclusionis sunt conuertibiles negatiuè, siue quando se negant conuertibiliter, & mutuo, secus verò si se aliter habeant: vt in simili diximus superius c.2. de modo Frisefomorum. Vno verbo: præmissæ modi Festino, Frisefomorum, & similia sunt apti ad concludendum vtiliter quoduis extremum de alio, & è conuerso, quoties extrema non se habuerint, velut superius, & inferius instar animalis verbi gratia & hominis.

41

Præterea tertio opponi potest aduersus quinque modos viles à nobis superadditos, eorum haud meminisse Aristotelem: nullis item eos dictionibus more reliquorum comprehendere: ac denique sponte sua euidenter esse, subalternatam sequi ex præmissis, vnde sequitur subalternans; haud ergo esse necessè, haud vtile modos illos adstruere, quibus hoc solum præcipiatur, ac doceatur, propositionem aliquam subalternatam inferri ex præmissis quibuscumque, vnde iuxta regulas Aristotelicas, & communes inferitur subalternans: quocirca modos hos à nobis superadditos iam pridem fugillasse videtur Dominicus Sotus lib.4. summ.c.4. not.3. omnis, iniquiens, syllogismus inferens vniuersalem, infert subinde indefinitam, & particularem subalternam, vt ait Aristot. 2. prior. Et ideo nec Aristoteles, nec Petrus Hispanus distinguunt diuersos modos, quorum alius concludat vniuersalem, & alius particularem subalternam vt Barbara, & Barbari, sed pro eodem reputantur.

42

Respondeo, Aristotelè etià præter duos modos indirectos primæ figuræ vltimos, nimirum Fapellmo, & Frisefomorum, aliorum non meminisse, vt testantur Conimb. 1. prior. cap.7. quæst. 2. art. 1. vtque perspicuè liquet ex eius operibus: Nihilominus Theophrastus eius discipulus, Eudemus, Porphyrius, & Boetius lib.2. de syllogismo categorico cap.4. & post eos cæteri communiter dialectici tres alios indirectos admittunt, videlicet Baralipson, Celantes, Dabitis: quamuis ergò non expressit Aristoteles nostros quinque modos, haud propterea sunt explodendi: aliud enim est, eorum non meminisse, propterea quòd reduci poterant ad eos quos assignauit, aliud, eos reieciſſe: prius illud admittimus, secus verò posterius. Iam quod nullis dictionibus signentur more cæterorum, quid interest? nulla

namque sunt impositæ modis indirectis secundæ, & tertiæ figuræ, nullæ inquam propria, nulla, nisi vulgares detorta paululum, atque inuersa: multi tamen eorum, quibus cum disceptamus, eiusmodi propterea modos indirectos haud respuunt: nulla etiam vocabula instituta sunt ad representandos modos proprios syllogismi expositiui, hypothetici, aut modalis: quis tamen eos hoc nomine reiiciat? Modi ergò à nobis additi, non quod nulli, sed quod nò adeo inuisi, nominibus hæcenus caruere propriis.

43

Porro quod euidenter sit, subalternatam ex iisdem fontibus, vnde subalternans exit, deriuari, haud arguit, modos hos nostros reiiciendos esse: siquidem euidenter etiam est, ex quibuscumque præmissis oritur conuersa, deduci posse conuertentem, propter huius ex illa necessariam sequelam: quare vel cum Auerroe modi omnes indirecti primæ figuræ respui debent, cum penes solam conuersionem conclusionum differant à modis directis eiusdem figuræ, aut certè hi nostri modi debent admitti, quantumvis eorum conclusiones sint propositiones subalternæ conclusionum, quas Aristotelici, & vulgares præcipiunt. Rursus euidenter est, quotiescunque conuertitur aliqua propositio per aliquam vniuersalem, & subalternantem, conuerti quoque posse per particularem, & subalternatam, cum conuerti vnam propositionem per aliam sit, hanc ex illa inferri transmutatione quadam terminorum prius facta, fierique non possit, vt subalternans alicunde inferatur, vnde non sit possibilis illatio subalternata. Nihilominus distinguitur communiter ab omnibus dialecticis duplex conuersio propositionis vniuersalis negatiuæ: vna simplex, & facta per subalternantem, vt nullus homo est lapis, ergò nullus lapis est homo: & alia per accidens, ac facta per subalternatam, vt nullus homo est lapis, ergò aliquis lapis non est homo, iuxta versiculum illum in scholis tritum. Simpliciter feci conuertitur, Eua per Acci. Similiter ergò quamuis euidenter pateat, subalternatam inferri directè, & absque vlla conuersione, aut transmutatione terminorum ex præmissis subalternantis, haud tamen erit superfluum distinguere, & adicere modos quosdam, in quibus talis illatio magis in particulari exprimitur. In summa; regulæ conuertendi multiplicantur propter solam diuersitatem propositionis subalternantis, & subalternatæ, quantacunque claritate vna contineatur in alia: eius ergò solius gratia multiplicari etiam poterunt regulæ, seu modi syllogizandi.

44

Aduersus numerum modorum inutilium à nobis constitutum plura quoque possunt obici, pro quorum solutione in generali (haud enim ea figillatim expendere vacat) duo sunt animaduertenda: Primum est, nobis sermonem fuisse de modis inutilibus ratione solius quantitatis, & qualitatis inuicem diuersis, quos totidem esse, quot enumerauimus est certo certius; non verò de modis inutilibus, qui in quantitate, & qualitate cum vtilibus, & proficuis conueniunt, solùmque sunt ratione alicuius sophismatis inutiles: hi siquidem possunt infinities plurificari. Secundum est, triginta quatuor modos inutiles à nobis assignatos esse, spectata quidem quantitate, & qualitate solarum præmissarum: quod si spectetur etiam quantitas, & qualitas conclusionum, profectò aliis etiam triginta quatuor modi inutiles, ac distincti à prioribus assignandi sunt: vt si pro Bilbili dicatur Bilbilas, pro Colophon Colophan, pro Euterpe Euterpos, pro Balsama Balsami, &c. Sicut enim diuersa conclusio modum vtilem variat, quidni & inutilem?

CAPVT

CAPVT VI.

Quibus principiis modorum vtilium vtilitas, & inutilium inutilitas nitantur.

45 **Q**uod ad primum attinet, duo principia generalia assignari solent: Primum metaphysicum; quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se, quæ non sunt eadem vni tertio, sed potius alterum ei idem, alterum ab eo diuersum non sunt idem inter se: Secundum dialecticum; quod priori Aristoteles superimposuit, videlicet dici de omni, & dici de nullo: id est, quod prædicatur de aliquo superiori, prædicatur de omni contento sub illo; vel, vt aliis verbis expressit B. Damascenus in log. cap. 8. *quacunque prædicantur de aliquo vt de subiecto, id est, vni uocæ, & de subiecto ipsius prædicabuntur*: quod verò negatur de aliquo superiori, negatur etiam de omni contento sub illo. Priori ergo principio omnes modi vtilis nituntur, cum in omnibus ex identitate extremorum cum medio in præmissis affirmata, aut negata, eorumdem identitas, aut distinctio inter se in exclusionem colligatur. Posteriori verò quatuor modi directi primæ figuræ innituntur, quippe qui maius extremum inconclusionem de minori negant, aut affirmant, eò quod illud affirmant aut negant in præmissis de medio, sub quo continetur minus extremum: ceteri vero modi huic principio reductiue tantum innituntur.

46 Duo itidem sunt principia quibus omnes modi vtilis innituntur, indirectè quidem, & reductiue: alterum metaphysicum, videlicet impossibile est idem simul esse, & non esse: alterum dialecticum metaphysico respondens, nimirum duæ contradictoriæ simul veræ esse non possunt. Nam, vt inferius constabit, conclusionem in aliquo modo vtili negans, postquam concessit præmissas, eò reduci potest, vt idem posse simul esse, & non esse, ac duas contradictorias esse posse simul veras, cogatur fateri: cogi autem ad hoc potest, vel sola propositione, & explicatione terminorum in quatuor modis perfectis primæ figuræ, vel in aliis imperfectis, cuiuscunque sint figuræ, eos reducendo ad perfectos, arte illa, & industria: de qua statim duobus capitibus sequentibus.

47 Quod ad secundum attinet quatuor principia cuius figuræ generalia sunt, ex quibus plurium modorum colligitur inutilitas: Primum est: ex duabus particularibus præmissis, aut ex duabus negatiuis nil sequitur. Probatur, tum à posteriori in Bilbili & Colophone: tum à priori, quia, cum ambæ præmissæ particulares sunt, extrema non sunt eadem vni tertio simpliciter, & verè: termini enim indeterminatè & disunctiue sumuntur: indeterminata autem, & disunctiua identitas non est simpliciter, & verè identitas, aliàs lapis absolutè Deus esset, cum quo indeterminatè sumpto identificatur, propterea quod verum sit, lapidem esse vel Deum, vel creaturam: vnde non mirum, si in conclusionem esse nequeant eiusmodi extrema inter se eadem: cum verò ambæ præmissæ negatiuæ sunt, extrema non sunt eadem vni tertio: ex eo autem quod extrema alicui tertio eadem non sunt, nec infertur eorum inter se identitas, nec distinctio, quandoquidem in alio medio vniri possunt, aut diuidi.

Secundum principium generale est: ex nulla præmissa particulari conclusio vniuersalis, & ex nulla negatiua sequi potest affirmatiua, tamen si al-

tera præmissa sit vniuersalis, aut quidpiam affirmet. Probatur, tum à posteriori in Catocho & Laerte: tum etiam, quia hic sicubi alias locum habet commune prologium, conclusio deteriorem partem sequitur, neutiquam perfectè sequutura, nisi esse debeat particularis, ac negatiua, quoties altera præmissa fuerit particularis, & negatiua: tum denique à priori, quoniam non plura identificari debent inter se in conclusione, quam identificantur vni tertio in præmissis: contrarium autem eueniret, si ex altera præmissa particulari sequeretur conclusio vniuersalis, vt cernere est in hoc syllogismo, aliquis homo currit, omnis homo est animal, ergò omne animal currit: haud enim omne animal, sed aliquod identificatur in præmissis cum currente vni tertio; videlicet in homine: rursus distinctio vnius extremi, aut alterutrius à medio in alterutra præmissa negatiua formaliter expressa nequit inferre immediatam identitatem extremorum in conclusione re præsentatam, vt constat ex numero superiori.

48 Tertium est: medium in aliqua præmissarum perfectè, & completè distribui debet, hoc est, pro omnibus accipi debet, pro quibus potest. Probatur à posteriori, quoniam idcirco hic arguendi modus inutilis est, omne animal fuit in arca Noe, Bucephalus Alexandri est animal, ergò fuit in arca Noe; nec non hic, essentia diuina est pater, filius est essentia diuina, ergò filius est pater: A priori verò, quia si medium completè distributum non sit, non erit propriè vnum comparatione extremorum, nec hæc vni tertio eadè erunt, vt per præfata exèpla intuenti elucescet. Quartum est, nullus terminus non distributus in præmissis in conclusione distribuendus est: quæ ratioe hic syllogismus paralogismus est, omnis homo est animal, omnis homo est substantia, ergò omnis substantia est animal; probatio autem eius principij à priori est talis: nequit plus inferri in conclusione, quam in præmissis expressum fuerit, iuxta paulò superius dicta, inter probandum secundum generale principium: huius autem contrarium eueniret, si qua conclusio distribueret terminum aliquem non distributum in præmissis.

49 Præter hæc quatuor principia cuius figuræ generalia quædam sunt aliquarum propria, & specialia, & quæ non omnibus inseruiunt. Pro prima figura sit hoc: ex maiori particulari, aut minori negatiua nil vi formæ concluditur. Pro secunda figuræ: ex duabus affirmatiuis; aut maiore particulari nil vi formæ sequitur. Pro tertia: ex minori negatiua nil formaliter efficitur. Quæ tria principia particularia, & à posteriori euidencia sunt, vt versus illos Bilbilis, & Colophon &c. expendent constabit, & à priori fisdem ferme rationibus possunt, quibus generalia, probari: eorum autem exempla in obuiis sunt, & propterea à nobis omittuntur.

CAPVT VII.

Reductio syllogismorum ostensua, & per impossibile.

50 **S**yllogismi omnes in quatuor primis modis primæ figuræ ad eò euidenter concludunt, vt qui concessis eorum præmissis consequentiam tamen negaret, duas contradictorias expressè concederet: siquidem in Darij qui concedit has præmissas, omnis homo est animal, Petrus est homo, expressè largitur hanc propositionem, Petrus, qui est homo, est animal;

animal; & qui negat in Darij hanc consequentiam, ergo Petrus est animal, expresse concedit hanc propositionem, aliquis homo, non est animal: aut omnem hominem esse animal, & aliquem non esse animal, siue, quod in idem recurrit, Petrum esse animal, & Petrum non esse animal contradicunt inuicem: qui ergo concessis præmissis, conclusionem in modo regis Darij negat, is duas contradictorias duplici ex titulo cogitur expresse fateri: quod in aliis tribus modis cernere est eadem ferme claritate, & euidencia. Reliqui verò syllogismi haud adeò euidenter concludunt: proinde siue sint in aliis figuris, siue in modis indirectis primæ figuræ reducendi sunt ad quatuor illos priores: quod dupliciter fieri potest: videlicet aut per ostensionem, aut per impossibile.

51 Reductio ostensua fit, aut sola mutatione subiecti in prædicatum, & è contrario, seu conuersione propositionis, aut simul transmutatione maioris in minorem, aut è diuerso. Pro cuius luce, & intelligentia præmitto, omnes modos imperfectos reduci ostensiuè ad perfectos, cum quibus in littera inchoatiua conueniunt v. g. Baralipson, Baroco, Bocardo ad Barbara: Dabitis, Darapti, Disamis, & Datifi ad Darij; & fide reliquis. Præmitto secundò, quemuis modum imperfectum intra se claudere aliquam ex his quatuor litteris S. P. M. C. ex quibus S. denotat propositionem anteriorem, seu, quod perinde est, anteriori vocali significatam, conuertendam simpliciter. P. verò per accidens M. maiorem cum minori, aut è contrario commutandam. C. demum reductione ostensua eum modum carere, & solius impossibilis capacem. Quod versiculis sequentibus complexi sunt dialectici.

*Simpliciter verti vult. S. P. vero per Acci
M. vult transponi, C. per impossibile duci.*

52 His positis, syllogismus in Datifi v. g. omnis homo est animal, aliquis homo est viuens, ergo aliquod viuens est animal sola conuersione simplici minoris, quam sygma medium postulat, ad Darij in hunc modum ostensiuè reducitur; omnis homo est animal, aliquod viuens est homo, ergo aliquod viuens est animal. Rursus hic syllogismus in Felapton, nullus homo est lapis, omnis homo est animal ergo aliquod animal non est lapis, conuersa per accidens minori propositione pro eo ac P. medium exposcit ad modum Ferialem, cum quo in littera inchoatiua conuenit ita reducitur ostensiuè, nullus homo est lapis, aliquod animal est homo, ergo aliquod animal non est lapis. Tandem Camestres v. g. omnis homo est animal, nullus lapis est animal, ergo nullus lapis est homo, conuersa simpliciter minori, & mutata in maiorem, prout duæ litteræ intermediæ postulant, & conuersa etiam simpliciter conclusionem iuxta exigentiam postremi sygmatis ita in Celarent suam euidenciam non celat, sed luce clarius ostendit: nullum animal est lapis, omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis: Bocardo & Baroco reductionis ostensuæ non sunt capaces vllatenus.

53 Quod ad quinque modos à nobis superadditos attinet Phalaris ad Barbaram, & Thersandros ad Celarent, sola mutatione conclusionis subalternæ in subalternantem ostensiuè reducuntur. Pelagos autem ad Celantes, Centauro ad Casarem, & Arestor ad Camestres eadem ratione reducuntur, & mox omnes tres mediare ad Celarent iuxta regulas, quas iam tradidimus.

54 Reductio per impossibile ad duas contradictorias admittendas eum cogit, qui conclusionem im-

perfectam, aut indirectam negat. Pro qua præmitto primò, in hoc versiculo.

Phæbifer axis obit terras, atheramque quotannis.
Duas primas dictiones quinque modis imperfectis primæ figuræ suo ordine ita respondere, vt prima vocalis primum modum imperfectum denotet, secunda secundum, & sic reliquæ: Rursus duas secundas dictiones, & significationes quatuor modis secundæ figuræ respondere: demum sex vocales duarum dictionum, quæ postremæ sunt, sex modos tertiæ figuræ eodem ordine significare: Quæ sunt attentè consideranda. Præmitto secundò, in sex dictionibus positis quatuor vocales reperiri, nimirum. a. e. i. o. quarum prima Barbara, secunda Celarent, tertia Darij, quarta Ferio repræsentant: quare modus omnis imperfectus reduci debet per impossibile ad eum modum perfectum, qui eadem littera symbolica gaudet.

55 Quibus constitutis in prima figura conclusio negata in maiorem, & maior primi syllogismi in minorem conuerti debent, & ex ambabus iam concessis, contradictorium, aut contrarium minoris concessæ absque vlla tergiversatione sequetur in aliquo ex modis perfectis, ad quos, reductio per impossibile fieri debeat. v. g. si quis hanc conclusionem in Dabitis, omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo aliquod animal est Petrus, dare nolit, sed potius eam constanter inficietur, per impossibile ad Celarent reducendus est, eo quod Dabitis & Celarent E, velut litteram symbolicam fortiantur: reductio autem ita fit; nullum animal est Petrus, quæ est conclusio negata, omnis homo est animal, quæ est maior prioris syllogismi, ex quibus in modo Celarent aperte inferitur, ergo nullus homo est Petrus, quæ propositio est contradictoria huius, aliquis homo est Petrus, ac proinde minoris concessæ Petrus est homo: nam, Petrus est homo, conuertitur per hanc, aliquis homo est Petrus; quare æquipollent quodammodo, eandemque contradictoriam respiciunt. Celantes id speciale habet in prima figura, vt propositiones debeant collocari paulo aliter: quocirca ad Darij reduci debet prima minori conuersa in maiorem, & contradictoria conclusionis negatæ in minorem, ex quibus contradictorium primæ maioris sequitur, vt intuenti clarebit.

56 In secunda figura reductio fieri debet, retenta maiori concessæ, & contradictoria consequentis negati posita loco minoris, ex quibus contradictorium minoris concessæ sequitur v. g. si quis hanc conclusionem in Camestres inficietur, omnis homo est animal, nullus lapis est animal, ergo nullus lapis est homo ad Darij per impossibile reuocandus est, eo quod modorum Camestres & Darij idem I. symbolum sit: Sic ergo sibi contradicere cogendus est positam conclusionem negans, omnis homo est animal, quæ est antiqua maior, aliquis lapis est homo, quæ est contradictoria consequentis negati, ex quibus in Darij aperte sequitur hæc conclusio, aliquis lapis est animal, quæ minori concessæ contradicit.

57 Tandem in tertia figura retinetur antiqua minor, & loco maioris propositio contradictoria consequenti negato ponitur, ex quibus contradictorium maioris concessæ sequitur euidenter. v. g. hic syllogismus in Datifi, omnis homo est animal, aliquis homo currit, ergo aliquod currens est animal si negetur conclusio, ita ad Ferio sibi symbolicum reducendus est: nullum currens est animal, aliquis homo currit, ergo aliquis homo non est animal, quæ conclusio maiori concessæ contradicit. Felapton autem ab Barbaram sibi colitteralem paulo aliter reuocatur,

reuocatur, utpotè in quo non contradictorium maioris concessa, ut in aliis quinque modis tertia figura, sed contrarium infertur, ut intuenti perspicuum erit. Quod autem has regulas rectius calleas, & tenacius conferues en antiquos versiculos, quibus continentur.

*Maiores fit minor, & fit contradictio maior
Dempto Celantes, in quo prauertitur ordo.
Seruat maiorem, variatque secunda minorem.
Tertia maiorem variat, seruatque minorem.*

CAPVT VIII.

Quatenus absque reductione ad modos perfectos imperfecti irrefragabiliter concludant.

58

Dupliciter conclusionis indirectæ, aut imperfectæ negator vrgeri potest, videlicet per reductionem ostensiuam vnius modi ad alium, qua fit, ut conclusionem negatam nequeat non concedere, aut per reductionem per impossibile alicuius etiam modi ad alium perfectiorem, qua fit, ut duas contradictorias expresse & formaliter tales non possit non admittere. Ipse tertium modum, eumque faciliorem adificio, quo, quin reducatur vnus modus ad alium, indirectus scilicet ad directum, & imperfectus ad magis perfectum, sed potius sola resolutione ac definitione syllogismi duæ contradictoriæ concessæ tales expresse & formaliter appareant. Id ergo absque negotio præstari potest, si præmissæ concessæ in vnam propositionem complexam coalescant, ad quod sola conuersione vnius præmissæ, aut mutatione subalternatæ in subalternantem, aut è conuerso opus est, & negatio conclusionis in propositionem contradictoriæ conclusioni negatæ commutetur, ad quod sola æquipollentia opus est, qui enim negat conclusionem virtualiter eius contradictoriam affirmat, cum contradictoriæ veræ simul esse nequeant; quibus præstitis, duæ contradictoriæ expresse tales apparebunt.

59

Pro cuius praxi, si quis hanc conclusionem in Baralipton negat, omne animal est sensibile, omnis homo est animal, ergo aliquid sensibile est homo, præmissæ in hanc propositionem complexam conflari debent, aliquid animal quod est sensibile est homo, quæ propositio complexa concessis præmissis euidenter est, quam ut negari possit, & etiam conclusioni negatæ expresse contradicit: quod negari nequeat probatur, quia aliquid animal est homo, conuertit hanc, omnis homo est animal, conuertens autem, & conuersa æquipollent, deinde illud aliquid animal esse sensibile subalternatur huic, omne animal est sensibile; at supposita veritate subalternantis, subalterna vera non esse nequit; igitur concessis his præmissis, omne animal est sensibile, omnis homo est animal, hæc propositio complexa aliquid animal, quod est sensibile est homo, euidenter est, quam ut negari queat; quod autem ea propositio complexa conclusioni negatæ, seu, quod perinde est, contradictoriæ conclusionis expresse contradicat, ita suadetur: quia propositio contradictoria conclusionis negatæ est hæc; nullum sensibile est homo, cui expresse, & euidenter propositio illa complexa contradicit.

60

Eadem ratione in secunda figura in modo Cæsareo concessis his præmissis, nullus lapis est angelus, omnis thronus est angelus, negaret hanc conclusio-

nem, ergo nullus thronus est lapis, ita ad contradictoria vrgeri posset, & deberet, omnis thronus angelus non est animal; quæ propositio expresse opponitur huic, aliquid thronus est lapis, quæ est contradictoria conclusionis, quam negatam supponimus. In hac tertia figura, conuersione opus non est, & sola subalternatio sufficit: quare clarius & euidenter adhuc concludit; clarius enim subalternata in subalternante, quam conuertens in conuersa continetur; si quis ergo in Disamis hanc conclusionem negaret, omnis homo est animal, aliquid homo est albus, ergo aliquid album est animal, ita præmissæ in vnam propositionem complexam contradictorio consequentis negati, expresse contradicentem conflari possent, aliquid homo, qui est albus, est animal, quæ expresse contradicit huic, nullum album est animal, ac per consequens contradictoriæ conclusionis, quæ negata est.

61

Hæc autem reductio in eo inferior est 'communi reductione per impossibile, quod in hac ex propositionibus expresse concessis ad contradictoria aduersarius cogatur: in illa verò nostra assumatur propositio conuertens, aut certè subalternata, quæ tantum implicite in conuersa, & subalternante concessæ sunt. In eo verò hæc nostra reductio communem aliquantulum superat, quod in communi per discursum ad contradictoria quis cogatur: in hac vero absque vllo discursu, per solam juxtapositionem iam concessorum ea contradictio appareat: quare hæc reductio est immediata, communis vero mediata, hæc facilis, illa longè operosior. Quod verò ad reductionem ostensiuam attinet, in eo reductioni huic æqualis est, quod vtræque, conuersione, & mutatione subalternatæ in subalternantem, vel è conuerso indigeat, in eo vero superatur, quod hæc ad impossibilia, & formaliter contradictoria pertinacem vrgeat: secus verò ostensiuæ, quæ non reuocat ad contradictoria, nisi ad summum virtualiter, si quis negatæ conclusionis aduersarium arguat; negatio enim conclusionis tantum virtualiter conclusioni concessæ opponitur.

CAPVT IX.

De arte inueniendi medium.

62

Quam antiqui sophistæ non tam detexisse quam multiplici verborum inuolucro & quasi labyrintho obscurasse videntur: atque, ut eam illustrarent, tanti habendam non reor, nimirum qua vix vnquam vtimur, & cuius utilitas, qualis qualis est, crebræ meditationi cedit. Enimverò acuerorum ingeniorum causa eam præcisæ salebris ac nugis exuo, & sex dictionibus toties repetitis concludam. Fecana, Cageti, Daphenes, Hebare, Gedaco, Gebali.

63

In qualibet dictione sunt tres vocales, quarum postrema quantitatem, & qualitatem indicat eius propositionis, cuius medium inuestigatur iuxta regulam illam. Afferit A. negat E. &c. secundò verò & primo loco cuiusque dictionis A. & E. ponuntur, quorum prædicatum propositionis probandæ, hoc vero subiectum denotat. Deinde in sex illis dictionibus habenda est ratio sex consonantium B. C. D. quæ ordinem medij ad prædicatum, & F. G. H. quæ ordinem eiusdem ad subiectum denotant: B. significat medium consequens, ac prædicatum, C. antecedens. D. extraneum. F. medium consequens ad subiectum G. antecedens. H. extraneum: de reliquis vero

vero

vero quatuor consonantibus nil curandum. Porro medium consequens est, quod subiecto, aut prædicato vniuersalius, deque eo directè prædicabile est, seu ex quo alterutrum inferri potest; vt animal respectu equi: antecedens est, ex quo subiectum, aut prædicatum inferri possunt, seu de quo alterutrum prædicari directè potest, vt equus respectu animalis: extraneum est, quod nec inferri ex subiecto, aut prædicato, aut ea inferre valet, seu quod de illis prædicari, aut illis subiici nequit, vt lapis respectu equi, aut è contrario.

64 Quibus positis perspicuum est, quale medium ad qualemcunque propositionem probandam assumi debeat. Fecana præcipit, ad propositionem propositionis vniuersalis affirmatiuæ, vltima alpha indicatam, assumi debere medium, quod sit antecedens ad prædicatum, quia C. talis medij symbolum antecedit A prædicato respondens, & rursus quod sit consequens ad subiectum, quia F. symbolum eiusce medij antecedit. E. subiecto respondens: quare iuxta superiora ad probandam hanc propositionem, omnis equus est viuens, animal, quod equus consequitur, & viuens antecedit, velut medium assumi debet, in hunc modum: omne animal est viuens, omnis equus est animal: ergo omnis equus est viuens. Eadem ratione quælibet sequentium dictionum, quomodo propositio sibi respondens, probanda sit, artificiosius quidem, quam vtilius præcipit.

65 Præter has sex combinationes medij cum extremis, nulla alia vtilis est, si quæ enim essent vtilis, maximè eæ, quam hæ tres dictiones Febas, Hedas, Hecas, indicant; siquidem ter tria nouem efficiunt: triplex ergo medium tripliciter cum extremis combinatum nouem combinationes efficit, vnde præter sex combinationes vtilis tres tantum triplici illa dictione contentæ superesse possunt: at prima combinatio, quam Febas indicat, vtilis non est, cum significet medium consequens ad vtrumque extremum, & quod de vtroque affirmetur, ac proinde duas præmissas in secunda figura affirmatiuas collocet, quæ nihil concludunt, vt constat ex toto illo versu.


66 *Balsama, Virgili, & Paridis, quibus adde Mylacin.*

Rursus secunda combinatio, quam Hedas indicat, inutilis est, nimirum quæ medium extraneum ad vtrumque extremum significet, ac proinde duas negatiuas præmittat, quæ nullibi concludunt, vt constat ex Colophone, Prologo, Melobosi, & similibus modis. Demum tertia combinatio, quam Hecas indicat, inutilis est: nam denotat medium extraneum ad subiectum, & antecedens ad prædicatum, & sic quoad priorem partem minorem negatiuam cum subiectum conclusionis in minore, locetur: at minor negatiua, nec in modis directis primæ figuræ nec in tota tertia, quidquam concludit. Quoad secundam verò partem denotat medium consequens ad prædicatum, seu de quo prædicatum conclusionis prædicetur: vnde in secunda figura ea combinatio locum non habet, ac proinde inutilis est duobus tamen modis indirectis primæ figuræ, videlicet Fapesimo, & Frisefomorum deseruit, vt omnis homo est animal, nullus equus est homo, ergo aliquod animal non est equus.

67 Vt autem artem hanc inueniendi medij vtilis, & reiiciendi pariter inutilis argumenter teneas, en totam numeris suis adstrictam.

Fecana, Cageri, Dafenet, Hebare, Gedaco, Gebali, medium quodcunque erit vtile, tradent. Subiectum notat E, sed quod superadditur Alpha. Pra: medium referunt B. capa, ac tertia delta

Ce prius, atque sequens Be; alienum delta figurat. Subiecto medium Fe. Ge. aspiratio refert. G prius, atque sequens, Fextra aspiratio signat. Quanta sit, & qualis probanda assertio signat. Vocalis quadruplex, quæ sex vocabula claudis Febas, Hedas, Hecas nunquam concludere possunt; Excipe Felapton, Frisefo, quibus vtilis Hecas.



TRACTATUS II.

De variis speciebus veritatis syllogistica.

CAPVT I.

De syllogismo obliquo, & circulari.

PRO syllogismo constante terminis obliquis sunt sequentes regulæ: Prima, quoties vtrumque extremum in obliquo ponitur in præmissis, aut ambæ sunt negatiuæ, & ita nil concludunt, haud enim sequitur nullius hominis est duplex anima, nullius risibilis est duplex anima, ergo nullum risibile est homo: atque in hoc conuenit syllogismus iste cum recto, & vulgari: aut ambæ sunt affirmatiuæ, & ita etiam nullius erunt efficacitatis ad concludendum, vt constat in hoc paralogismo, omnis homo constat corpore, omnis homo constat anima, ergo anima est corpus: aut vna affirmat & altera negat; atque ita nihil potest verè concludi in obliquo bene tamen quid piam in recto, vt omnis homo constat anima rationali, nullus homo constat anima belluina, igitur anima belluina non est anima rationalis.

Secunda regula: si medium vtrobique præmissarum ponitur in obliquo, id ipsum de conclusione dicendum est, quod ià dictum in simili, videlicet eam esse inutile, & nullā, si ambæ præmissæ negent: non enim valet: nullius hominis est equus, nullius hominis est animal hinnibile: ergo animal hinnibile non est equus: aut si ambæ affirmant, haud enim sequitur Bucephalus fuit Alexandri, Alastor fuit Alexandri, ergo Alastor non est Bucephalus: sin autem vna affirmet, & altera neget eam in recto esse vtilem, & formalem, secus verò in obliquo: valet siquidem, nullius hominis est hic equus, alicuius hominis est hic asinus: ergo hic asinus non est hic equus.

Tertia regula: si medium in vna præmissa sit in obliquo, & alterum extremorum sit etiam in alia præmissa in obliquo nil concludunt: siue sint ambæ affirmatiuæ, vt constat in hoc paralogismo, omnis vxor est alicuius viri, sed Petrus est vxoris, ergo est alicuius viri: siue vna affirmet, & altera neget, vt liquet in hoc paralogismo priori non minus manifestè falso, ac ridiculo, omnis vxor est alicuius viri, sed Petronilla non est vxoris vllius: ergo non est alicuius viri: quod si ambæ præmissæ conditione præfata affectæ negent ex æquo, haud opus erit, ostendere illarum ad concludendum inutilitatem, quippe quæ est eis cum argumentatione directæ solis principiis negatiuis innixa communis.

Quarta regula: quoties vnum tantum extremorum fuerit in præmissis in obliquo, nequit illud non poni in conclusione similiter in obliquo: rectè enim arguas, omnis vxor est alicuius viri, Petronilla est

Vxor: